



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sponsalia Et Matrimonium**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Ingolstadii, 1726**

§. I. De Matrimonij Impedimentis in genere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75229)

## SECTIO III.

## De Matrimoniorum Impedimentis in genere, &amp; quibusdam in specie.

UT sanctior, firmior, & Reip. utilior foret conjunctio maris, & fæminæ ad generationem prolis, Jura merito voluerunt, eam non temere, sed maximo delectu, & circumspeditione iniri. Quare ut temeritatem, & inconsiderantiam hominum cæ-

cam refrænaret Ecclesia, non pauca conjugiorum obstacula, seu, ut vocant, Impedimenta ipsa posuit, alia per Legem naturalem, vel Divinam jam antè posita promulgavit. Sit ergo

## §. I.

## De Matrimonij Impedimentis in genere.

## SUMMARIUM.

354. Quid sit Impedimentum Matrimonij?  
 355. 356. Quotuplicis generis?  
 357. An in Ecclesia sit potestas inducendi Impedimenta Matrimoniorum?  
 358. Respondetur affirmative ex certa Catholicorum doctrina.  
 359. Solvantur opposita.  
 360. Quibus competat potestas inducendi Impedimenta Matrimoniorum? An Episcopis?  
 361. Resolvitur negativa.  
 362. Saltem quoad Impedimenta Dirimentia.  
 363. Respondetur ad Argumenta contraria.  
 364. An Princeps Secularis subditis suis fidelibus statuere Matrimonij Impedimenta possit?  
 365. Respondetur non posse.  
 366. Solvantur Objectiones.  
 367. An impedimenta hujusmodi introducere possint Principes bisideles respectu subditorum suorum infidelium?  
 368. 369. Vel fidelium?  
 370. An per consuetudinem illa induci possint? Prima sententia.

371. Secunda.  
 372. Tertia.  
 373. Solvantur Argumenta prima.  
 374. Respondetur ad Argumenta secunda.  
 375. 376. 377. Quibus Legibus, & Impedimentis Nuptialibus teneantur?  
 378. An valida sint conjugia Hæreticorum, que ipsi cum Impedimento Juris Ecclesiastici incurrunt? Prima sententia negans.  
 379. Secunda affirmans.  
 380. Respondetur ad Argumenta prioris sententiæ.  
 381. Utrum Pontifex Impedimentum dirimens statuere possit etiam inter duas privatas personas?  
 382. An possit aliquem reddere perpetuò inhabilem ad Matrimonium?  
 383. An causa justa desideretur ad Impedimentum aliquod inducendum?

354. **Q**Uæritur I. Quid sint, & quotuplicis generis sint Impedimenta Matrimoniorum? *¶* Impedimentum quasi *Pedum tenimentum* ex sua origine obstaculum dicitur, quo quis impeditur, ne progredi, vel transire possit, quò vult. Et ob hanc causam in exercitu sarcinæ, curus, vehicula, & alia involuera dicuntur *Impedimenta*, quòd militum concitato cursu, & velocitati obstant. Clericat. *de Sacr. matr. decis. 18. n. 3.* Magnif. P. Schmier p. 3. *de Impedim. matr. c. 1. n. 1.* Juxta hanc motionem Impedimentum Matrimonij in genere describi potest, quòd sit *obstaculum morale, seu inhabilitas, faciens, ut Matrimonium pro desiderio, & voluntate contrahi nequeat.* Sicut enim in alijs Contractibus, ita & multo magis, cum sanctior, & firmior esse debeat, in Matrimoniali Contractu aliqua inveniuntur obstacula, quæ aliquando ab illo contrahendo omnino removent, aliquando saltem retardant.

Sunt autem duplicis generis Impedimenta Matrimoniorum: nam alia sunt *Impedientia tantum*; quia solum obstant nuptiarum justitiæ, & honestati, cum efficiant, ut illicitè contrahantur. Alia verò sunt, & appellantur *Dirimentia*; quia obstant etiam illarum valori, & faciunt, ut cum eorum uno contractæ non solum illicitæ, sed etiam invalidæ sint. Istorum, seu *Dirimentium* septendecim omnino enumerantur, & memoriæ gratiâ in quatuor sequentes Versus coguntur.

Error, Religio, triplex Cognatio, Crimen,  
 Culsus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen,  
 Honestas.  
 Raptus, Clandestina fides, Imposcendum,  
 Ætas, Affines solvunt Sponsalia cuncta.

Quibus Versibus ut Impedimenta Dirimentia omnia comprehendantur, sub Impedimento Erroris intelligi debet non tantum

tum ille Error, qui versatur circa Personam contrahentis substantiam, ut loquuntur Philosophi, sive individuum, sed etiam ille, qui contingit circa alterius contrahentium conditionem servilem.

356 Priorum, seu *Impedientium* aliqui duodecim omnino referunt; alij verò, nec male, illa complectuntur Quinario, in hunc Versum redacto:

*Interdico, Dies, Votum, Sponsalia, Crimen.*

Addunt nonnulli sextum, videlicet Catechismum, an rectè, dicitur *Tit. 16.* Non est animus hoc Titulo de omnibus singillatim agere, sed solum de Impedimento Erroris, & Vis, seu Metus: de Publica Honestate actum est à n. 96. reliqua suis quodque Titulis servabuntur.

357 *Queritur 2.* An in Ecclesia sit potestas inducendi Impedimenta Matrimonij Impedientia, & Dirimentia? Dubitabant non pauci ante Tridentinum: imò ex ipsis laudati Concilij Patribus quadraginta omnino Episcopi, alique non pauci DD. fuerunt, qui initio putabant, in Ecclesia non esse Potestatem constituendi hujusmodi Impedimenta, Et videtur hoc etiam probare Ratio: quia Matrimonium fidelium defacto est unum ex septem novæ Legis Sacramentis; Ecclesia autem, sicut novum aliquod Sacramentum instituire nequit, ita nec potest à Christo instituta circa materiam, & formam immutare. Ergo neque in Matrimonio istud poterit mutaretur autem in hoc Materia, & Forma, si induceretur ab Ecclesia Impedimentum aliquod dirimens Matrimonium, quod initio, cum elevabatur à Christo ad dignitatem Sacramenti, illud non dirimebat; quia tunc mutaretur Contractus, qui est Materia, & Forma hujus Sacramenti, ergo &c. *Confirm.* non potest Ecclesia facere, ut panis, & vinum, quæ defacto sunt materia Sacramenti Eucharistie apta, imposterum non sint materia apta ejusdem Sacramenti; aut ut verba, *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis Sc.* quæ defacto sunt forma illius, ejusdem non amplius sint forma: & sic de cæteris Sacramentis. Ergo nec in potestate Ecclesiæ est facere, ut persona v. g. servilis, aut in conjugis mortem machinata, quæ ad contrahendum Matrimonium antea erat habilis, deinceps non amplius habilis sit, aut ut consensus, seu contractus clandestinus, qui ante legitimus, & sufficiens erat, jam non sit legitimus, & sufficiens.

358 Verùm his non obstantibus, est inconvulsa Catholica veritas, & firma fide teneri debet, quòd in Ecclesiæ potestate sit inducere Impedimenta, non tantum Impedientia, sed etiam dirimentia Matrimonium. Patet ex *Trid. sess. 24. can. 4. de Sacram. Matr.* ubi, S. Concilij istius Patres, *Si quis, inquit, dixerit Ecclesiam non potuisse con-*

*stituere impedimenta Matrimoniorum dirimentia, vel in ijs constituendis errasse, anathema sit.* *Conf. 1.* ex antiquissima praxi, & usu Ecclesiæ, quæ constat ab eadem irritatum Matrimonium gravi, & injustè incusso metu extortum *arg. c. cum locum 14. & c. veniens 15. Sc. h. tit.* contractum inter eos, qui in alterius conjugis mortem sunt machinati *can. si quis vivente 5. caus. 31. q. 1. c. super eo 3. de eo, qui duxit Sc.* contractum inter Servum, & liberum ignorantem conditionem servilem illius *c. proposuit 2. & c. fin. de conjug. serv.* contractum sine Parocho, & testibus clandestinè. *Sess. 24. cit. c. 1. §. qui aliter de reform. matrim. Conf. 2.* Christus, dum Matrimonij contractum elevavit ad rationem, & dignitatem Sacramenti, non mutavit Contractum, sed statuit, ut is, qui inter homines legitimus est, seu secundum Leges humanas validè initus, inter fideles deinceps foret Sacramentum. Igitur sicut Ecclesia, quando id ad Reip. Christianæ bonum, & rectam fidelium gubernationem expedire videbitur, in cæteris Contractibus certam formam, & solennitates constituere, & ad eos celebrandos personas contrahentium habilitare, vel inhabilitare potest, ita etiam potest in Contractu Matrimonij.

*Ex quo patet ad Rationem dubitandi;* nam Ecclesia, dum certam formam, & solennitates constituit Matrimonio, & alias quidem personas habiles ad id contrahendum, alias verò inhabiles facit, non mutat materiam, & formam Sacramenti à Christo constitutam, sed tantum facit, ut Contractus, qui antea fuit legitimus, deinceps talis non amplius sit; instituit autem Christus Matrimonij Sacramentum sub ratione generica Contractus legitimi: quinam verò talis sit, reliquit arbitrio Ecclesiæ. *Ad Conf.* negatur paritas; nam in Eucharistia, & alijs Sacramentis Christus materiam, & formam Sacramenti constituit determinatam in ratione sua specifica, in matrimonio verò tantum sub ratione generica Contractus legitimi. Imò Argumentum hoc potius confirmat responsionem datam; nemo enim diceret, quòd materiam Eucharistie mutet is, qui corrumpit panem, & vinum. Igitur nec Ecclesia dici debet propriè mutare materiam, & formam Sacramenti Matrimonij, dum Impedimenta aliqua inducendo facit, ut Contractus, qui antea legitimus fuit, jam non sit legitimus.

*Queritur 3.* Quibus in Ecclesia, competat potestas introducendi Impedimenta impedientia, vel dirimentia? *Certum est* apud omnes Catholicos post Tridentinum, quòd hæc potestas competat Summo Pontifici; nam ita monstrant Constitutiones Apostolicæ, Conciliorum, Oecumenicorum Decreta, & perantiqua, ac universalis Ecclesiæ consuetudo,

*Dubium est de Episcopis, aliisque Prælati Jurisdictionem quasi Episcopalem in certi territorij Clerum, ac populum obtinentibus? Ratio dubitandi est; quia quod Papa potest in toto Orbe Christiano, hoc isti possunt in sua quisque Diocesi, præter ea, quæ Summo Pontifici specialiter sunt reservata, ut Regula instar statuunt Abulens. in Matth. c. 16. q. 87. Sot. l. 10. de Just. q. 1. art. 3. Gambarà de Offic. Legat. l. 10. à n. 466. atqui nusquam reperitur expressum, quod Papa potestatem istam Episcopis, & Prælati inferioribus ademerit, & sibi reservaverit, ergo &c. Conf. Quia Impedimenta quadam, etiam irritantia, olim ab Episcopis, & Concilijs Provincialibus, vel Nationalibus introducta sunt, ut testis est Pontius l. 2. de Matr. c. 2. n. 12.*

361 Sed dicendum, potestatem istam inducendi saltem Impedimenta dirimentia competere soli Summo Pontifici, non verò Episcopis, vel alijs Prælati inferioribus. Ita Covar. p. 2. c. 6. §. 10. n. 16. Sanch. l. 7. de Matr. D. 1. n. 10. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 1. n. 2. Perez de Matr. D. 21. sect. 5. n. 7. Pagn. in c. perniciosam 1. de offic. Ord. n. 63. Pal. tr. 28. D. 4. p. 1. n. 2. Card. de Lug. l. 1. respons. mor. dub. 45. à n. 1. Gobat. Theol. Exper. tr. 9. n. 19. Clericat. de Sacram. Matr. decis. 18. n. 22. Pirh. hic n. 149. König n. 125. Wiest. n. 182. Magnif. P. Schmier p. 3. de Imped. Matr. c. 1. n. 9. & duob. seqq. Ratio est; quia si Episcopi, aliique inferiores Prælati haberent potestatem inducendi Impedimenta dirimentia Matrimonium, potestas hæc ipsis competeret vel ex sua Ordinatione, vel ex concessione Pontificis, vel ex dispositione Juris. Non ex Ordinatione sua; quia vi istius præcisè nullam actualem Jurisdictionem in aliquo territorio, vel subditos habent, ut patet in Episcopis merè Titularibus: non ex concessione Pontificis; quia nusquam legitur, quod unquam hæc potestas à Papa sit concessa Episcopis: non denique ex dispositione Juris; quia nullus extat in Jure textus, ex quo tam insignis potestas in Episcopos fuerit transfusa: imò ob rei gravitatem non expediebat eam in hos transfundi, cum alias constet, quod causas graviore sibi reservet Pontifex.

362 Dixi, Impedimenta saltem dirimentia; nam quoad Impedientia non dubitat Clericat. l. cit. n. 13. quin potestas illa statuendi Episcopis competat: cujus ratio assignari potest. 1. Quia prohibitio Matrimonij citra irritationem non videtur esse una ex causis majoribus. 2. Quia Superior quilibet frequenter ex alia causa potest illicitum reddere, quod alias erat licitum. 3. Quia Ecclesie vetitum numeratur inter impedimenta impedientia, cum tamen etiam Episcopis liceat Matrimonium ex causa aliquibus interdiceret, ut infra Tit. 16. dicetur.

*Ad Rationem dubitandi, Regulam illam, nisi variè limitetur, omnino falsam esse præter alios pronuntiat Suar. l. 6. de Legib. c. 14. n. 6. & multis probat Fagnan. l. cit. n. 29. cum enim Episcopi à Romano Pont. non in potestatis plenitudinem, sed in partem sollicitudinis vocentur, potius vera est Regula contraria, videlicet Episcopos quoad actus Jurisdictionis plus non posse, quam quod ipsis conceditur à Pontifice. Ad Conf. Idem Pontius l. cit. faretur aliqua ex impedimentis Episcoporum, & Conciliorum Provincialium, vel Nationalium autoritate introductis, à Sede Apostolica fuisse rejecta, & explosa, alia verò, ejusdem Summæ Sedis autoritate, vel ratificatione accedente, constituta, & approbata: quo modo Impedimenta Matrimonij Dirimentia induci posse, in dubium nemo vocat.*

Quæritur 4. An Princeps, seu Magistratus Sæcularis, saltem is, qui habet potestatem absolutam ferendi Leges, suis subditis fidelibus statuere Matrimonij impedimenta possit? Videtur posse. 1. quia Matrimonium est contractus Civilis. igitur non minus, quam alij Contractus potestati Politicæ, & Sæculari subjectus est. 2. Ad potestatem Regiam, & Principis cujuscumque supremi pertinet providere ea, quæ ad tranquillitatem, & bonum Reip. tuendum pertinent. atqui ad hoc tuendum aliquando pertinet introduci Impedimenta, vi quorum aliqua personæ, quæ prius poterant contrahere Matrimonium, deinceps non amplius possint, igitur eo casu, quo bonum, & tranquillitas Reip. hoc ita exigit, à Principe, vel Magistratu Sæculari introduci Impedimenta hujusmodi poterunt. 3. Si esset aliqua ratio, ob quam Princeps Sæcularis circa Matrimoniorum Impedimenta nihil posset statuere quoad fideles subditos, esset, quia inter hos contractum est Sacramentum. atqui hoc obesse non debet; quia simul est Contractus Civilis, quo per Politicam, & Sæcularem potestatem immutato, definit esse materia Sacramenti, ut dictum est n. 357. 4. Si ratio Sacramenti obstarer, neque Pontifex hujusmodi Impedimenta posset introducere; nam Sacramenta sunt Juris Divini, circa quod potestas inferior nihil potest. Potest autem Pontifex hujusmodi Impedimenta inducere; quia hæc ejus potestas confurgit solum ex ratione contractus humani, quem dum facit non amplius esse legitimum, facit, ut non amplius sit materia Sacramenti, ergo &c.

Sed his non obstantibus, dicendum omnino est, post elevationem Matrimonij ad dignitatem Sacramenti à Christo factam, impedimenta Nuptiarum, quæ valori, & honestati illarum obstant, pro fidelibus per Principes, & Magistratum quemcumque Sæcularem induci non posse. Ita Ant. de Butrio in c. 1. b. tit. n. 12. Abb. ibid. n. 9. Alex.

Alex. de Nevo n. 21 Præposit. n. 7. Felin. n. 10. Sylv. V. Matrimonium 8. q. 8. dist. 1. Tabien. V. Impedimentum imped. 6. n. 1. Turrecr. in cau. 1. caus. 30. q. 3. art. 6. ad 1. Gaeta in cau. ad limina 7. caus. cit. q. 1. §. 4. n. 299. & seqq. Sot. in 4. dist. 42. q. 2. art. 2. ad 2. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 10. n. 30. Cavall. opin. comm. contr. comm. q. 58. n. 10. Bellarm. l. 1. de Matr. c. 32. Pont. l. 6. de Matr. c. 2. n. 3. Pal. tr. 28. D. 4. p. 1. n. 3. Fagnan. in c. utrum 1. n. 22. de cognat. spirit. Pirh. hic n. 150. König n. 93. & 125. Wiest. n. 180. Magnif. P. Schmier p. 3. de Imped. Matr. c. 1. n. 7. & 8. Consentit S. Thom. in 4. dist. 42. q. 2. art. 2. ad 4. ubi differre ait: *Prohibitio Legis humane non sufficit. ad Impedimentum Matrimonij, nisi interveniat auctoritas Ecclesie, que idem etiam interdicit. Rationem dat; quia Sacramenta Ecclesie, quale etiam est Matrimonium, humanis Legibus non subdantur. Quod confirmatur 1. quia Matrimonium fidelium per hoc ipsum, quodd elevatum sit ad dignitatem Sacramenti, caput esse Contractus facer, & Spirituales, ac proinde subiectus soli potestati Ecclesiasticæ, & extractus ex potestate Sæculari. Conf. 2. Plus est Matrimonij inter fideles contrahendis ponere Leges, & constituere impedimenta, quam cognoscere de causis Matrimonialibus inter fideles exortis. atqui Curia Sæcularis de his causis, quia Spirituales sunt, nequit cognoscere, ut patet ex c. tuam 3. de ordin. cognit. c. causam 7. qui fil. legit. & Trid. sess. 24. can. 12. de Sac. Matr. ergo multo minus ijs contrahendis Leges ponere, & Impedimenta potest statuere, cum recepta, & Magistralis sit Regula: Cujus quis in aliqua materia non fortitur forum, ejus etiam Legibus non ligatur arg. c. fin. de Const. in 6. & l. fin. ff. de Jurisdic.*

Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad 1.* Id procedit de Matrimonio ante elevationem ad dignitatem Sacramenti: ex quo non sequitur, quodd etiam post illam subiectum potestati Sæculari maneat, sed potius contrarium; nam sicut persona Clerici, aut Religiosi, licet ante Ordinationem, & Professionem Religiosam subiecta fuerit Principi, & Magistrarui Sæculari, post illam tamen à Jurisdictione illius eximitur, ita etiam Matrimonium, quamvis ante elevationem ad Sacramentum fuerit Contractus Civilis, & propterea sub dispositione potestatis Sæcularis, post illam tamen ista circa illud Legali, aut alia ordinatione decernere nil amplius poterit. *Ad 2.* Satis provifum est bono publico, quodd potestas Impedimenta hæc inducendi sit data Ecclesie. *Ad 3.* Patet ex responsione *ad 1.* quia scilicet Contractus Matrimonialis, qui antea Civilis duntaxat fuit, per elevationem Spiritualis effectus est. *Ad 4.* Pontifici Christus con-

cessit potestatem decernendi qualitatem Contractus, ut hic ad conficiendum valide Matrimonium habeatur legitimus, quam non legitur concessisse Principi Sæculari.

Quæritur §. An Impedimenta Matrimonium dirimentia introducere valeant Principes, & similes Magistratus infideles. *Certum est*, illa statui ab his posse pro subditis suis infidelibus. Ita S. Thom. in 4. dist. 39. q. un. art. 2. ad 3. Navar. Man. c. 22. n. 48. Henriq. l. 12. c. 1. n. 4. Sanch. Libr. 7. de Matr. D. 3. n. 5. Conink D. 30. dub. 1. n. 7. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 1. n. 2. Pal. tr. 28. D. 4. p. 1. n. 4. Wiest. hic n. 177. & hoc teste aliorum communis sententia, Ratio est expedita; quia Matrimonia Infidelium non sunt Sacramentum, sed Contractus merè Civilis. igitur sicut infideles potestati Legislativæ suorum Principum, ac Magistratum subiecti sunt quoad alios Contractus, ita etiam quoad Matrimonium; poterunt proinde isti, si ita bonum Reip. commune videatur exigere, certam formam, & solemnitates Matrimonij illorum præscribere, eosque ad ea contrahenda habilitare, vel inhabilitare. Idem ex eadem ratione dici debet de Principibus fidelibus, si subditos aliquos infideles habeant, ut cum communi notat Sanch. l. c. n. 8.

*Controversia est*, an Princeps infidelis ejusmodi Impedimenta statuere possit etiam pro subditis suis fidelibus? Affirmant Sanch. D. 3. cit. n. 7. Conink n. 7. cit. Perez de Matr. D. 21. sess. 5. n. 3. & probare hoc etiam videtur ratio: quia Leges, quibus hujusmodi Impedimenta inducuntur, si iustam habeant causam, sunt iustæ, & procedunt ab habente potestatem ejusmodi Impedimenta inducendi; igitur tenebunt quoscunque Principis talis subditos. *Conf.* Princeps Infidelis hujusmodi impedimenta statuere potest saltem quoad subditos suos infideles. igitur nisi potestas ista aliqua Legge restricta sit, se extendet etiam ad subditos suos fideles: non patet autem restrictam esse Legge Divina, & Ecclesiasticâ, quâ sibi Ecclesia facultatem de nuptiali contractu disponendi reservavit, non ligantur; quia Ecclesiam per Baptismum ingressi non sunt ergo &c.

Sed melius negatur, quodd Princeps infidelis potestatem hujusmodi respectu fidelium, Jurisdictioni ipsius temporali subjectorum, habeat, prout hoc etiam negant, Sot. in 4. dist. 42. q. 2. art. 2. Hurtad. de Matr. D. 12. n. 2. Pont. l. 6. c. 2. à n. 3. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 1. n. 3. Pal. tr. 28. D. 4. p. 1. n. 3. Pirh. hic n. 151. Wiest. n. 175. Magnif. P. Schmier p. 3. de Imped. Matr. c. 1. n. 20. & 21. Ratio est; quia fideles, sicut in cæteris ad Spiritualem animæ salutem ordinatis, sic etiam in contrahendis Matrimonij adstringuntur Legibus Ecclesiasticis, ut conjugia illorum, si ab ipsis quo-

quoquoque in loco degant, contra SS. Canones inita sint, valore careant, & contra valeant, si secundum eos coaluere. Unde consequens est, quod non afficiantur Impedimentis Nuptialibus, promulgatis à Principe Infideli; quia aliàs iste irritare posset conjugia fidelium inita secundum SS. Canones, & contra valida declarare, quæ contra SS. Canones cum clausula irritante promulgatos, inivère: & sic circa conjugia fidelium, subjectorum temporali Jurisdictioni Principum infidelium, major esset iutorum potestas, quàm Ecclesiæ.

*Argumentum* in contrarium allatum, & ejus *Confirmatio* solvuntur ex dictis; quia nuptialis fidelium Contractus ipsa illius ad Sacramentalem statum elevatione potestati Principis infidelis, Impedimenta proponentis, subtrahit, & Ecclesiæ subjectus est.

370 *Quæritur* 6. An etiam per consuetudinem possint introduci Impedimenta Matrimonium? Triplex maxime Sententia est. *Prima* absolute vim istam negat consuetudini. Ita Gloss. *fin. in c. 1. de cognat. Spirit.* Innoc. *in c. super eo 3. eod. n. 4.* Joan. Andr. *in c. quod super 5. de Consang. in fin. Ancharan. ibid. fin. Tabiena V. Impedimentum 1. in commun. q. 4. n. 5. Gaëta repet. eam, ad Limina 30 q. 1. §. 4. n. 269.* & alij apud Sanch. *l. 7. de Matr. D. 4. n. 10.* *Fundatur*: Quia si consuetudo haberet vim introducendi nova ejusmodi Impedimenta, etiam haberet vim abrogandi ab Ecclesia jam constituta, atqui per consuetudinem Impedimentum aliquod ab Ecclesia constitutum abrogari non potest, prout sumitur ex *c. quod super cit.* ubi consuetudo, permittens conjugium intra Gradus Jure prohibitos, tanquam corruptela, diserte reprobatur. *Conf.* Quia potestas constituendi Impedimenta Matrimonij est Sedi Apostolicæ reservata.

371 *Secunda Sententia* ad consuetudinem, ut Impedimentum conjugiorum valori obstat, induci ab ea possit, requirit, ut hujusmodi consuetudo expresse sit approbata à Summo Pontifice. Ita Hoff. *in c. quod super cit. in fin. juncto c. super eo n. 5.* Rosell. *V. Impedimentum Imped. 1. n. 7.* Sylv. *V. Matrimonium 2. q. 3. in fin. Pont. l. 6. de Matr. c. 6. n. 6.* Fagnan. *in c. Utrum autem 1. de cognat. Spirit. n. 18.* Pith. *tit. eod. n. 10.* §. 11. *Fundamentum* hujus sententiæ est 1. quia consuetudo, quæ reddit fideles inhabiles ad contrahendum sine approbatione Pontificis, nec est rationalis, nec legitime præscripta. Non rationalis; quia *c. de Francia 1. b. tit.* à Jure specialiter reprobatur: non legitime præscripta; quia inter ea, quæ requiruntur ad hoc, ut consuetudo legitime præscripta dicatur, præcipuum est, ut inducta fuerit sciente, & patiente, imò approbante Principe, qui Jus condere in illis potest. 2. Quia eadem potestas requi-

R. P. Schmalzgrueber L. IV.

ritur in abrogatione Legis, quæ in constitutione ejusdem arg. *c. cum jam dudum 18. de Preb. & Dignis.* atqui Lege per Summum Pontificem approbata, imò Divina, & Naturali quilibet Matrimonij ineundi capax est, quem SS. Canones habilem esse agnoscunt, ergo ut abrogetur hæc Lex, & persona aliqua ex habili fiat inhabilis, pariter autoritas, & approbatio Summi Pontificis requiretur. 3. *c. super eo cit. & c. quod dilectio 9. de Consang. & Affinit.* allegatæ consuetudines ab Alexandro, & Cælestino, utroq; ejus nominis III. expresse sunt approbatæ, eaque approbatione transierunt in naturam Constitutionis.

Tertia denique, & communior Sententia est, quæ consuetudini, etiam non specialiter approbatæ à Papa, modò rationalis, & legitime præscripta sit, tribuit vim introducendi nova ejusmodi Impedimenta conjugiorum. Ita Navarr. *Man. c. 22. n. 83.* Suar. *de LL. l. 7. c. 19. n. 26.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 4. n. 11.* Tann. *D. 2. de Matr. q. 4. dub. 1. n. ult. Pal. tr. 3. D. 3. p. 4. §. 2. n. 11. & tr. 28. D. 4. p. 1. n. 5.* Perez *D. 21. sect. 6. n. 5.* Gonzal. *in c. 1. b. tit. n. 22.* Gobat. *Theol. Experim. tr. 9. n. 25.* Clericat. *de sac. Matr. decis. 18. n. 21.* Wiest. *hic n. 186.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Imped. Matr. c. 1. n. 12. & seqq.* Colligitur ex *c. super eo cit.* ubi, an personæ aliquæ conjungi valeant, aut secus, jubetur inquiri consuetudo Metropolitanæ, & aliarum vicinarum Ecclesiarum, quæ viget, neque requiritur, ut ista à Sede Apostolica sit approbata. *Ratio est*; quia generalis est Regula, sumpta ex *c. fin. de consuet.* quod consuetudine novum Jus induci, & antiquum abrogari possit, si illa sit legitime præscripta, & rationi consona. potest autem consuetudo, quæ introducuntur Impedimenta Matrimoniorum, esse rationalis, & habere requisita consuetudinis legitime præscriptæ, ergo &c. *Conf. a pari* nam passim receptum est apud DD. quod consuetudine induci possit novum Festum, jejunium, aut inhabilitas ad Beneficium: cur non etiam per eam induci possint nov. Impedimenta, conjugiorum valori obstantia, præsertim cum multi dicant, Impedimentum Disparitatis Culius defacto sic introductum esse.

Ad Argumentum primæ Sententiæ, 373 *n. 170.* allatum dico, Sequelam non difficulter concedi à Sanch. *D. 4. cit. n. 14.* & alijs plurimis per hunc *tit.* & merito, n. m. ejusmodi Impedimenta tolli possunt, imò aliqua sublata, aut restricta defacto sunt per Legem Ecclesiasticam, ut videre est in Impedimento Consanguinitatis & Affinitatis, quod antiquo Jure extendebatur ad septimum, nunc ad quartum gradum juxta *c. non debet 8. de consang.* item in Impedimento publicæ honestatis, quod an-

L

18

te Trid. ad quartum gradum se porrigebat, & oriebatur etiam ex Sponsalibus de futuro invalidis, nunc ex validis tantum oritur, & primo gradu concluditur juxta Decretum laudati Concilij *sess. 24. c. 3. de reform. Matr.* atqui eadem causa, & circumstantia, quæ rationabilem possunt facere Legem Ecclesiasticam, etiam rationabilem possunt facere consuetudinem, ut rectè Sylv. *V. consuetudo q. 1. n. 2.* Roch. de Curte *tr. de consuet. sect. 2. n. 15.* & alij notant. *Neque obstat textus c. quod super in contrarium allegati; nam ut Pal. §. 2. cit. n. 5.* Gonzal. *ibid. n. 2.* & alij explicant, textus ille intelligendus est de consuetudine, quæ vel irrationabilis est, vel non est legitime præscripta: non verò de ea, quæ rationalis, & legitime præscripta est; nam hæc vim Legis habet, & pro Lege suscipitur. *Ad Conf. Reservatio illa solum excludit potestatem Legislativam Sæcularem, & Ecclesiasticam, Papali inferiorem, non verò consuetudinem rationabilem, & legitime præscriptam; nam huic vis illa satis tribuitur per c. fin. cit.* Imò cum vim suam omnem habeat à consensu Legali Pontificis, reservationem istam confirmat, cum adhuc verum sit, quòd Impedimenta Matrimoniorum dirimentia constituantur à solo Pontifice.

874 Argumenta secundæ sententiæ n. 371. relata similiter Sententiæ nostræ non obfunt. *Ad 1.* Ut consuetudo talis sit rationalis, sufficit, si similes circumstantiæ concurrant, quæ sufficerent ad novum Impedimentum statuendum per Legem: & tunc si accedat diuturnitas temporis, & frequentia requisita actuum, aderit etiam consensus, & approbatio Summi Pontificis, non quidem specialis (nam hic nullo Jure requiritur) sed generalis, quæ consuetudini generaliter vim Legis constituendæ, & abrogandæ dedit. *Ad 2.* Id nimium probat; probaret enim, quòd sicut Lex quælibet expressa Legislatoris voluntate statuitur, ita eadem voluntas intervenire debeat, ut per consuetudinem abrogetur. *Ad 3.* in c. *citt.* & consuetudinibus ibidem allegatis non intervenit specialis consensus; quia Matrimonia, secundum ipsas ante approbationem laudatorum Pontificum contracta, ab his pro validis reputantur.

875 Quæritur 7. Quinam Legibus, & Impedimentis Nuptialibus ligentur? *3.* distinguendo inter Impedimenta; nam Impedimentis, quæ Jure Divino, & Naturali inducta sunt, afficiuntur omnes planè homines. Res est explorata; nam ab observatione Legis Divinæ, & Naturalis nemo omnino, qui sit rationis compos, excipitur. *Et hinc sequitur*, etsi apud aliquam Gentem Infidelium consuetudo sit, ut jungatur Matrimonio pater cum filia, mater cum filio &c. dissolvenda esse hujusmodi Matrimonia,

si ita juncti ad Fidem Christianam transeant; quia nulla Lex humana, vel consuetudo prævalere adversus Legem Divinam, vel Naturalem potest.

Impedimentis, quæ introducta sunt solo Jure Ecclesiastico, afficiuntur soli fideles, seu Baptizati, iique omnes, ubicunque degant, non verò etiam infideles. Ita *Sot. in 4. dist. 42. q. 2. art. 2.* Tann. *D. 2. de Matr. q. 4. dub. 1. n. 20.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 1. n. 3.* Pont. *l. 7. de Matr. c. 1. n. 7.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 1. n. 3.* Pal. *tr. 28. D. 4. p. 1. n. 3.* Pirh. *hic n. 149.* Wiest. *n. 175.* Ratio de fidelibus est; quia Pontificis Jurisdictio Spiritualis diffusa per Orbem universum est, & subiectos sibi habet fideles omnes, ut circa alia, ita circa Matrimonium. De Infidelibus patet; quia cum Ecclesiam per Baptismi januam nondum ingressi sint, Constitutionibus Canonis non arctantur *arg. c. gaudemus 8. de Divort.* Hinc de illis Apostolus. *Quid mihi*, inquit, *de ijs, qui foris sunt, judicare.* *1. Corinth. 5. v. 12.*

Excipitur, nisi ejusmodi infideles degant in Territorio Ecclesiæ temporali; nam his, tanquam subditis suis, Leges connubiales ferre, si velit, etiam Pontifex potest, ita, ut conjugia, ab iisdem contra hujusmodi Leges inita, viribus, & valore destituantur, ut rectè cum alijs Sanch. *D. 1. cit. n. 3.* Ratio est; quia in territorio Jurisdictioni suæ temporali subiecto potest Pontifex non minus, quam quod potest Rex in suo Regno, & Imperator in Imperio, atqui secundum dicta n. 367. Princeps non tantum infidelis, sed etiam fidelis potest pro subditis suis infidelibus statuere ejusmodi Impedimenta, ergo &c.

Dubium est de Hæreticis, an validè sint eorum conjugia, quæ ineunt cum Impedimento Juris merè Ecclesiastici, & in eorum terris non recepti? Negant Less. in *Audiar. l. 2. de præscript. cas. 1.* Busenbaum *Medull. l. 6. tr. 6. c. 3. dub. 1. in fin.* Gobat. *Theol. Experim. tr. 9. à n. 41. & Append. 15. à n. 88.* König *procem. Jur. Can. n. 9.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Imped. Matr. c. 1. n. 24.* pro qua sententia etiam P. Gobat. *l. cit.* allegat judicium Facultatis Theologicæ Viennensis, quæ ad quæstionem ab Archiducali Regimine Austriae 18. *Majj 1655.* de ijs sibi propositam respondit ea esse invalida. *Fundamenta* hujus sententiæ sunt. 1. quia Hæretici hoc ipso, quòd Ecclesiam per Baptismum ingressi sint, subji-ciuntur Jurisdictioni illius, ejusque adstringuntur Legibus. igitur ipsorum conjugia, contra Legem Ecclesiæ irritantem contracta, non erunt minus invalida, quam invalida sint, si ejusmodi conjugia ineamur ab Orthodoxis. 2. Si aliquid Hæreticos eximeret à Legibus Connubialibus Ecclesiæ, eximeret illos consuetudo Provinciarum ipsarum

fis contraria. Ista non eximit; quia eidem deest consensus Pontificis, ad quamlibet consuetudinem, ut illa adversus Legem Ecclesiæ prævalere possit, requisitus, cum utique præsumi nequeat, quod Pontifex illis, tanquam rebellibus subditis, in hoc favere voluerit, quippe qui poenâ potiùs digni sunt ob Legum istarum transgressionem.

3. Ut consuetudo Legi alicui deroget, debet tam ipsa, quam mores contrarij utentium esse rationabiles. Tales autem non sunt, quibus scienter contravenitur Constitutionibus Ecclesiasticis.

4. Si consuetudo Hæreticos eximeret à Legibus Connubialibus Ecclesiæ, eximeret eosdem etiam à cæteris Legibus ejusdem, quibus stabiliter contraveniunt.

5. Hoc modo valida fieri possent etiam Matrimonia, quæ incurrunt inter Apostatas à Religione, & Ordine, transseutes ad Hæreticos, & eas, quas vel ex Catholicis seduxerunt, vel ex A Catholicis assumpserunt.

6. S. Congregatio Cardd. Trid. Interpp. Episcopo Tricariensi Sedis Apostolicæ ad Belgas Legato 19. Jan. 1605. inter alia disertè rescripsit, Hæreticos quoque, ubi Decretum *Jess. 24. c. 1. de reform. Matr.* est publicatum, teneri talem formam observare; & propterea etiam ipsorum Matrimonia absque forma Concilij, quamvis coram Ministro Hæretico, vel Magistratu loci contracta, nulla, atque irrita esse. atqui nulla est ratio, cur potiùs irrita sint conjugia, ab Hæretico contracta contra Decretum *c. 1. cit.* quam contracta contra alias Sanctiones Ecclesiasticas, munitas clausula irritante, igitur etiam irrita erunt celebrata cum alio Impedimento Juris Ecclesiastici: Itaisti.

370. Contra proposita Hæreticorum conjugia valida esse, defendunt Petr. Marchant. *Tribun. Sacram. tom. 3. tr. 1. tit. 6. concl. 4.* Bonagraria *Suñ. qq. Regul. Discept. de Matr. Hæret. §. 8.* Henric. Mair *de Matr. Sacram. n. 67.* pro se allegans P. Simonem Felicem Moralis Theologiæ Doctorem eximium. Pro eorundem valore, teste Gobat *l. cit. n. 32.* non obscurè stant Tann. *tom. 4. D. 8. q. 3. n. 122.* Laym. *l. 9. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 7.* Dicast. *de Matr. D. 3. dub. 10.* dum valida esse docent conjugia ab Hæreticis, absente loci Parocho Catholico, contracta. *Fundamentum* istorum DD. præcipuum, & ferè unicum est; quia, ut *suprà n. 372.* dictum est, consuetudine Sanctionibus Ecclesiæ Connubialibus quoad vim irritandi Matrimonium derogari potest, si conditiones, ad legitimam consuetudinem requisitas, habeat, atqui in nostro casu nulla conditio, ad legitimam consuetudinem requisita, deest: Nam 1. cum *actu frequenter* concurrat diuturnitas temporis; constat enim, quod integro Sæculo, imò longiori etiam tempore ejusmodi conjugia ab Hæreticis passim incurrunt absque ulla nul-

R. P. Schmalzgrueber L. IV.

litis existimatione, vel etiam suspicione, quippe quæ ipsi Catholici pro validis, & proles ex ipsis susceptas pro legitimis habent.

2. Non deest consensus Principis, seu Pontificis in hujusmodi consuetudinem; quia hic universaliter vim dedit consuetudini, ut per illam abrogari Leges Ecclesiasticæ possent: quare nisi constet de contraria voluntate Legislatoris Pontificis, vis consuetudinis etiam ad Matrimonia Hæreticorum, cum ejusmodi Impedimento contracta, sese extendet, & cons. habebitur consensus Legislatoris saltem Legalis.

3. Non deficit etiam *rationabilitas*; nam ut vis Canonum, hujusmodi Conjugia irritantium, & inde proveniens Matrimoniorum nullitas post continuatum tanto tempore non usum cesset, omnino expediens fuit, tum quia sperari non potest eorum Canonum observantia, tum verò maximè, quia illorum quoad vim irritandi cessatio plurimùm confert ad conservationem pacis, & tranquillitatis publicæ inter Catholicos, & Heterodoxos, ipsorumque ad Ecclesiæ gremium faciliorem reductionem: quarum illa sæpe adduceretur in discrimen, & ista multò difficilior fieret, si ea, de quibus sermo est, conjugia pro incestis, & inutilibus, & proles, ex his procreatæ, pro Spurijs, & illegitimis, cons. etiam pro Officiorum publicorum, ac Beneficiorum incapacibus in Republica Christiana haberentur. Quare cum consuetudo ista omnia habeat, quæ ad legitimè præscriptam consuetudinem requiruntur etiam ipsa vim consuetudinis legitimè præscriptæ, & cons. Canones illos quoad irritationem conjugiorum istiusmodi abrogandi habebit. *Cons.* Ex praxi observata, dum ad Ecclesiæ gremium Palatinatus, & alia per Germaniam nostram Provincia reducebantur; non enim constat, quod defudantes in hoc negotio Clerici tum Sæculares, tum Regulares solliciti fuerint, aut multùm laboraverint de Matrimonijs, cum aliquo ejusmodi Impedimento contractis, aut dissolvendis, aut impetrata de illis dispensatione renovandis, quamvis extra dubium sit, non pauca ab hujusmodi reductis cum tali Impedimento fuisse contracta, dum Lutheri, aut Calvini dogmata sectabantur. Ita hi posteriores non minùs probabiliter, sed ita, ut P. Wiestner *hic n. 200.* cum utriusque opinionis fundamenta excussisset, nihil sit ausus decidere, sed Controversiæ istius decisionem Apostolicam expectandam judicet. Ego judico, non erraturum, qui valorem hujusmodi Matrimoniorum ex secundæ Sententiæ momentis sustineat.

Argumenta primæ Sententiæ non difficulter solutionem admittunt. *Ad 1.* Dici potest, Legibus hujusmodi Connubialibus quoad vim irritandi conjugia, cum ejusmodi Impedimento contracta, derogatum esse per consuetudinem; nam, ut *n. L. 2.*

præc.



prec. dictum est, consuetudo hæc moribus, & usu ipsorum etiam Catholicorum firmata est, qui Conjugia sic contracta pro justis, & liberos ex ijs susceptos pro legitimis habent in Provincijs, in quibus Hæretici Catholicis permixti degunt. *Ad 2.* Ostensum est *n. prec.* in hoc casu non desiderari consensum saltem tacitum Principis, nempe Pontificis; quia hic per SS. Canones, dum consuetudinem rationabilem, & legitime præscriptam, etiam quæ Juri positivo derogat, generaliter approbant, satis habetur: unde cum non extet Constitutio Apostolica, quæ consuetudini, Sanctionibus Ecclesiæ Connubialibus deroganti, specialiter resistat, dicendum est, eundem Legalem consensum etiam extendi ad istam consuetudinem. Quod additur, Hæreticos potius penâ ob Legum istarum transgressionem dignos esse, verum est; nam eam meretur pertinacia illorum, & inobedientia in Christi Vicarium: hoc tamen posito, etiam verum est, eodem miseratione non indignos esse, cum magnam partem hodie inculpabiliter ignorent se errare, & Ecclesiæ Jurisdictioni, ac Legibus subjectos esse. *Ad 3.* rationabilitas consuetudinis non debet desumi ex actibus, quibus inducitur; nam isti possunt etiam esse peccaminosi: sed aliæ circumstantiæ rationabilem illam facere possunt, maxime conducentia ad finem, & bonum publicum; sic autem, ut *n. prec.* dictum est, conducit consuetudo nullitatem conjugiorum, cum Impedimento Juris Ecclesiastici contractorum, tollens, cum, ut dixi multum conducat ad faciliorem Hæreticorum reductionem, & conservationem pacis, ac tranquillitatis publicæ. *Ad 4.* Impriis DD. qui Sententiam secundam defendunt, libenter concedunt, quod Hæretici scienter contrahendo Matrimonium cum Impedimento Juris Ecclesiastici peccent, sed tantum dicunt, Leges Connubiales hac consuetudine fuisse abrogatas quoad vim irritandi ejusmodi Conjugia contracta ab Hæreticis; & hoc non tam in favorem Hæreticorum, quam Catholicorum, cum per eam stabiliatur tranquillitas publica; & illorum ad Catholica Sacra reductio fiat expeditior. Deinde malè infertur ex consuetudine derogante Legibus Connubialibus, quod Sanctiones Canonice omnes per eam tolli possint; nam etsi primum concedant plurimi, alterum tamen omnes inficiantur: & meritò, cum nec Jus *c. cum non liceat 12. de Prescript.* nec ratio permittat, ullius consuetudinis, aut præscriptionis vi subditos ab Obedientia eximi, ne evacuatis Legibus, omnis disciplina evanescat, & Ecclesiastica, terrenaque Resp. in nihilum redigatur. *Ad 5.* Non est paritas: nam Matrimonia Apostatarum Sacerdotum, & Religiosorum valore destitui, omnium Orthodoxorum DD. constans, & certa doctrina est; neque enim

his suffragatur ulla consuetudo, sed potius hæc contra illorum valorem pugnat, cum ejusmodi Apostatarum conjugia, si ad gremium Ecclesiæ redeant, semper, itaque dissolvantur, ut non solum ipsi statim abstrahantur à consortio Uxorum; sed his quoque, si ad Catholica Sacra redeant, vel transeant, nova conjugia cum alijs viris permittantur, luculento indicio nullitatis Matrimoniorum antè cum Apostatis contractorum. *Ad 6.* Relata Cardinalium Declaratione, etiam si in forma Authentica exhiberetur, plus non evincitur, quam quod Decreto *Trid. c. 1. cit.* afficiantur etiam Hæretici in Provincijs, in quibus illud est publicatum: non verò probatur, quod per illud adempta sit consuetudini legitime præscriptæ vis derogandi ipsi, aut alijs Sanctionibus Canonice.

Quæritur 8. Utrum Pontifex inter duas privatas personas ex causa justa e. g. magnæ disparitatis inter contrahentes, vel timoris gravium discordiarum possit Matrimonium ita prohibere, ut Matrimonium, contra hujusmodi prohibitionem contractum, sit omnino irritum? Tangunt difficultatem hanc Navar. *l. 4. edit. 1. conf. 24. de Sponsal. & edit. 2. de Matrim. contr. interd. Eccl. conf. 1. & Henriq. l. 12. de Matr. c. 12. n. 1. junct. Comment. lit. C.* sed nihil decidunt. Sed difficultatem non video; nam si Pontifex potest ex justa causa reddere irritum Matrimonium inter omnes personas certi generis, ut inter omnes consanguineos usque ad quartum gradum, cur non poterit irritare inter duas privatas personas, ubi tam urgens fuerit causa, ut illud postulet? Quare judico dicendum, id omnino posse Pontificem. Ita Hofst. *Summ. tit. de Matr. contract. contr. interd. Eccl. fin. Felin. in c. ex parte n. 6. y. quartus casus de Constit. Paludan. in 4. disp. 34. q. 1. art. 1. n. 10. Sanch. l. 7. de Matr. D. 1. n. 7.* ubi præter alios allegat Additionatorem ad Navar. *conf. 1. cit.* dicentem, quod Pontifex sua ætate inhabilitavit Virum quendam Illustrissimum ad inendum Matrimonium cum certa fæmina; & iterum quendam alium, qui ut eluderet Sponsalia de futuro, super quibus lis pendebat, tentabat contrahere Matrimonium cum alia: & hoc ex causa, quod utroque casu gravia scandala non immeritò timerentur.

Gravior difficultas est, utrum Pontifex ex justa causa possit personam aliquam reddere perpetuò inhabilem ad Matrimonium, quæ Jure naturæ habilis erat? *Ratio dubitandi est;* quia talis persona cogeretur ad perpetuam continentiam, ad quam tamen absque proprio consensu nemo adstringi potest *can. integritas 13. caus. 32. q. 1.* item privaretur Matrimonio, quod tamen in remedium concupiscentiæ natura ipsa indulgit. Sed tenenda est sententia affirmativa cum Alex. de Nevo in *c. suas n.*

17. de Spons. duor. quem citat, & sequitur Sanch. D. 1. cit. n. 9. nam sic, ut ex Calderino refert Alex. de Nevo l. cit. Urbanus V. inhabilem ad Matrimonium ineundum reddidit Barnabonem Vicecomitem, & Dominum Mediolanensem, ac liberos ejus rebelles Ecclesie. Neque obstat Argumentum contrarium; nam etiam libertas cuiusvis à natura concessa est, & tamen ob culpam potest quis eam privari. Accedit; quia potestas Pontificis non est arctata ad sola impedimenta Matrimonij impedientia statuenda, sed ad dirimentia quoque extenditur. igitur sicut in gravissimi delicti poenam, ut factum est ob Incestum, potuit prohibere omnino Matrimonium, ita, ubi gravitas delicti id exigit, efficere potest, ut ab huiusmodi criminis reo initum sit omnino nullum.

387. Quæritur 9. An iusta desideretur causa, ut Pontifex ritè, ac rectè valeat Impedimenta Matrimoniorum indicare? *Responsum.* Affirmativè: & quidem major causa ad sta-

tuendum Impedimentum Matrimoniorum dirimens, quam impediens tantum, cum gravius sit dirimere, quam simpliciter prohibere.

Difficultas est, an si Pontifex absque iusta causa statuat Impedimentum aliquod, teneat factum, & Impedimentum ita constitutum effectum suum obtineat. Affirmant aliqui, quamvis admittant Pontificem tunc reum esse culpæ, ex ratione, quia Pontifex potest multa peccando efficere, quæ tamen teneant facta. Sed Sanch. D. 1. cit. n. 6. cum alijs à se cit. iudicat ad valorem prohibitionis omnino desiderari iustam causam. Rationem dat; quia Matrimonium est vinculum Jure naturali, & Divino inventum, ac omnibus permixtum, excepto saltem primo gradu consanguinitatis inter Ascendentes, & Descendentes. in ijs autem, quæ Juris naturæ sunt, vel Divini, disponere Pontifex sine iusta causa nec licitè, nec validè potest, prout in dispensatione Voti, relaxatione Juramenti. &c.

## S. II.

## De Impedimento Vis, &amp; Metus.

## S U M M A R I U M.

384. Quid sit Vis, & Metus?  
 385. Quam multipliciter dividatur?  
 386. Quale impedimentum sit Metus?  
 387. An ad irritandum Matrimonium sufficiat Metus Levis?  
 388. Vel gravis illatus per causam necessariam?  
 389. Aut per liberam quidem, sed iustè?  
 390. Ratio, quare iustè incussus non dirimat Matrimonium.  
 391. Casus, quibus metus censetur iustè incussus.  
 392. Hinc solus ille metus invalidat Matrimonium, qui gravis, & iniustè incussus est.  
 393. Corollaria inde deducta.  
 394. Ratio irritandi Matrimonium ex ista causa.  
 395. Requisita, ut propterea irritetur.  
 396. 397. Et procedit, etiamsi metus non cogat ad contrahendum cum aliqua determinatè.  
 398. An requiratur, ut sit incussus in finem ad contrahendum Matrimonium?  
 399. Respondetur negativè.  
 400. Corollaria.  
 401. Solvuntur Argumenta contraria.  
 402, 403, 404. Quid dicendum, quando unus metum infert, alius promittit liberationem à metu sub conditione nuptiarum?  
 405. Ex quo Jure nullitas Matrimonij ob metum descendat?  
 406. Respondetur descendere ex Jure positivo Ecclesiastico tantum.

407. Diluuntur Argumenta opposita.  
 408. An Matrimonium, metu iniustè incussus, extortum, sit irritum utroque foro?  
 409. Defenditur sententia affirmans.  
 410. Negantis fundamenta evertuntur.  
 411. An Matrimonium metu contractum firmetur adjecto Juramento?  
 412. Respondetur negativè.  
 413. Solvuntur Objectiones.  
 414. An firmetur per copulam subsequatam?  
 415. Respondetur firmari, si libere admissa sit.  
 416. Non verò si metu extorta.  
 417. Corollarium.  
 418. Dissolvuntur Argumenta opposita.  
 419. An convalescat per diuturnam cohabitationem? Respondetur affirmativè.  
 420. Quod locum habere etiam nunc post Trid. potest.  
 421. Requisita ut locum habeat.  
 422. An, qui metu extorsit Matrimonium, teneatur metu cessantè verè contrahere?  
 423. Respondetur non teneri.  
 424. Nisi casu, quo damnum illatum aliter reparari nequit.  
 425. Objectiones solvuntur.  
 426. An valida sint sponsalia metu extorta?  
 427. Defenditur affirmativa.  
 428. Respondetur ad opposita.  
 429. Quomodo sit probandus metus?  
 430. Regula circa hoc.  
 431. Quid intelligatur per Metum cadentem in virum constantem?  
 432. Quid faciendum, si omnibus consideratis, est dubium, an metus gravis sit?